Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Eligivs Episc. 1. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

DECEMBER.

S. ELIGIUS EPISC. 1. Decembris.

QVàm altùm ELIGIUS virtute ſuâ evolaturus in cælum eſſet, aquila monſtravit parturienti matri per ſomnum viſa. Puer aurifici inſtituendus traditus, artem eam non multo tempore

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ita perdidicit, ut nemo alius hâc tam gratus regi Clotario eſſet; tunc præcipuè ubi fidem ſuam ita probavit, ut ex auro, ex quo ſellam unam tantùm facere juſſus erat, geminas concinnaret. Intereà tertiam ſedem cælo aggreſſus parare, animum ſuum, hic demum artificem ſe oſtendit: quando lacrimis hunc perpolivit, aſperis pœnitentiæ ſtudiis ſcalpſit, omnibuſque virtutibus ita exornavit, ut ad ſpectaculum Cælites traheret. Etenim ex his unum aliquê, cùm de more noctem ante hierothecam ſacrarum reliquiarum in ſomnis inter preces traduceret, ipſe vidit, rataſque preces ſuas apud DEVM eſſe intellexit: mox caput rore tam copioſo perfuſus & tam ſuavi eſt, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Iam quidquid arte ſuâ corradebat ELIGIVS, id omne non jam ELIGII, ſed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec aliò Regum benevolentiâ utebatur: à quibus, cùm jam miraculis etiam clarus eſſet, Epiſcopus Noviomenſis dictus, cùm eo in munere Apoſtolus Flandriæ dici meruiſſet, cœnobia plura fundaſſet, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipſius ſuum huic mandavit. *Ex Lippeloo.*

Noveris licet omnia myſteria, noveris alta terræ, alta cæli, profunda maris; ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructuram faciens. quidquid extruxeris extra te erit inſtar congeſti pulveris ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. S. Bern. l. 2. de Conſid.

S. PHI-